

N. 92, 32.



ANDREAE RIVINI

Ludicæ seculares ob inventam arte CConeos
artem Chalvographicam
1640.





7033
L. ANDREÆ RIVINI HALIS-

SAXONIS, PROFESSORIS
LIPSIENSIS,

HECATOMBA LAUDUM ET GRATIARUM,
IN LUDIS ITERUM-SECULARIBUS
OB INVENTAM IN GERMANIA
ABHINC

ANNIS CC.

CHALCOGRAPHIAM,

AD ARAM SUPREMI NUMINIS

ARTIS OMNIS DATORIS,

INQ: HONOREM PRIMOR, HUIUS

AVTHORVM,

NEC NON PERPETUAM REI

MEMORIAM,

PUBLICE PIE Q. INTILieto

AD PLISN-ELISTRVM IMMOLATA:

CUM IN CARMINIBUS QVIBUSDAM ET EPI-
GRAMMATIS, TUM VERO PRAECIPUE INDECLAMA-
TIUNCULA SOLENNI,

ARTIS TYPOGRAPHICAE

COMMENDATIONEM & PRIMIS USQ. CUNABU-

LIS IN DECLIVEM PAVLATIM SENECTAM

HISTORICE MAGIS QVAM RHETORICE


& VARIIS SCRIPTORIBVS CE-

LEBRANTE.

LIPSIÆ


ÆRA ∞ ID CXL. APUD TYPOGRAPHOS.

Typographis Lipsiensibus S.

 Ulm vester, Amici dilecti, Senior nuper Odam quendam Germanicam, biseculis memoria, ob artificium vestrum anno M. CCCC. XL. adinventum, celebranda ergo conscriptam, percensendam mihi exhiberet, inibiq; lapsum quendam mnemonicum de IVONE SCHÖFERO, quem, nescio cuius Typographici Anagnosta Argentinensis carmen inter primores Chalcographiae auctores retulerat, deprehenderem; Subjeci ipsi humanissime, me, ob singularem ejus artis amorem, ante biennium publice de eâ, sed paulo aliter differuisse, & tam inventum atq; incrementum, quàm decrementum & detrimentum ejusdem levi quidem & brevi, fastigia tamen summa perstringente, & diversa sentientes conciliante Oratiunculâ declarasse. Ibi ille orare, ut, cum parum aliàs, nec nisi sparsim à variis eâ de re perscriptum esset, eam declamatiunculam, praesertim hoc seculari-iterum anno, quo aliàs Typographi jubilaeum quasi quendam per aliquot dies in Germania feriaturi essent, publici juris facerem. Quam ad rem cum operam prae laq; sua & suorum liberaliter offerret, tam honeste ejus petitioni, inq; laudem praecipue DEI, & Majorum nostrorum gloriâ, piè vergenti nolui refragari, sed lubens è Schediis meis Oratiunculam illam subitariam, unâ cum auctariis quibusdam ad rem presentem accommodatis, vobis impertire & communicare volui. Eoque magis, quod geminum quiddam in Academia Agrippinensi conceptari perspexissem. Commodum namq; accidit, ut in verno librorum Catalogo hujus anni, tractatus Nobilis cujusdam viri BERNHARDI à Mallinckroth de ortu & progressu artis typographicae, Coloniae apud Johannem Kinckium in 4. prodisse nunciaretur. Eum librum licet nondum videre, & utrum nobiscum conveniat vel dissentiat, animadvertere contigisset; attamen ut eadem, quâ ille forma impressus esset, hic etiam noster excuderetur, quò invicem conferri & compingi possent, vos monere debui, & simul rogare volui, ut rem communem literariam ad commodum quoq; aliorum, si qua ventura sunt, seculorum sedulo adjuvetis, & porro conatibus quoq; honestis faveatis.

Vestri

L. A. R.



HECATOMBA LAUDUM

ET GRATIARUM.



I.

Q. HORATII CARMEN SÆCULARE

ΠΡΟCΕΤΤΙΚΟΝ,

Ad verum & unicum Christianorum Numen, & præsentem quodammodo
Statum (cum apud S. Imperii urbem Noribergam, pacificandi studio Cæs. Majtis, &
Serenissimorum ac Reverendissimorum Dominorum Septemvirorum, aliorumq; Princie-
pum Legati & deputati essent congregati) directum; & in Typographiæ præ-
sertim ante duo sæcula inventæ laudem, sine ullâ penè
mutatione ita concinnatum.




CHRISTE cunctorumq; potens J E H O V A,
SPIRITVS SANCTI decus, ò colende
Ternio semper, dato quæ precamur Tempore sacro.
Quo Sibyllini micuere versus,
Strangulandum hostem esse aliquando Christi
Lino, eum, septem placuere colles Cui Babylonque.
Quando de pannis laceris renata
Charta jam lucem, nitido typo uncta,
Promittit, haut quicquam licet urbe Româ Visere pejus.
Præla maturos aperire partus
Vifa Alethiæ: patuere larvæ:
Hinc FIDEI LUCINA TYPOGRAPHIA est, Ceu Genitalis.
Diva producat subolem, sitosq;
Sedula in lucem revocet parentes,
Prosperans decreta super novandis Ære libellis.
VICIES DENOS sapiens PER ANNOS
Orbis, ut cantus referatq; ludos
Ter die claro totiesq; gratâ Nocte frequenteis.
Vosq; veraces cecinisse chartæ,
Quod semel dictum est, stabilisq; rerum
Terminus servat, meliora ductis Fata rogate.
Fertilis frugum, pecorisq; tellus
Spiceo donet Corydona sermo;

A 2

Nu

Nutrient foetus & aquæ salubres, Et levis aura.
Condito mitis placidusq; telo
Supplices audi famulos, Triarcha,
Adspice & clementi operas oculo Chalcographorum.
Præla si verè tuum opus, typique,
Littus Hebræum quibus Atticumq;
Jussa pars mutare Laris & Urbem Sospite cursu;
Cum per ardentem celebris Caminum
FAUSTUS inventor modò litterarum, Plura repertis.
Liberum munivit iter, daturus
Hinc probos mores docili juventæ,
Et senectuti placidæ quietem,
Teutonum genti Deus addis & rem Et decus omne.
Dum nigræ liræ albo inarantur arvo,
TERTIUS pacem FRIDERICUS orbi
Imperat, bellante prior, jacentem Lenis in hostem.
Jam mari terrâq; manus potenteis
Et characteres timet Alemanos
Exter: hinc responsa petunt superbi Et Scythæ & Indi,
Jam Fides & Pax & Honor, Pudorq;
Priscus, & neglecta redire virtus
Audet, apparetq; beata pleno Copia cornu.
Hoc micat fervente decorus ære,
Phœbus, acceptusq; novem Camœnis
Qui salutari levat arte fessos Corporis artus.
Si MOGUNTINAS Deus audit ARTEIS,
Remq; Germanam, TILIETUM & ipsum,
Alterum in lustrum, meliusq; semper Proroget ævum.
Ad PATRIS dextram assiduusq; JESUS
NORICAS SEPTEM - ille PRECES - VIRO RUM
Curet, & votis puerorum amicas Applicet aureis.
Hæc DEV M sentire, sacramq; Trigam
Spem bonam, certamq; domum reportet.
Doctus & CHRISTI Chorus & JEHOVA Dicere laudes.

LAN.


L. AN. RIVINI
EPIGRAMMATA DECEM
De
Cattiterographiâ.

I. LAUS DEO SEMPER.

Qui primus digitis incidit nomina legum,
Non modo marmoribus, sed quoque pectoribus; Exod. 24, 31.
LAUS SIT EI PERPETUA, quod eam Majoribus artem
Prodidit, ut scribant pectore & ære simul.

Jam LAUS quando DEI commercia cætera SEMPER
Ornat, ea ars LAUDES ornat at usque DEO.

II. INCONTEMPTORES CHALCOGRAPHIÆ ET EA
ABUTENTES.

Quod si tollit humo reverenter Turca papyrus,
Possè putans illi nomen inesse DEI:
Quantò Christicolæ tractent reverentiùs artem,
Quæ toto verbum protulit orbe DEI.
Præla flagellabit quisquis, non nomine CHRISTI
Dignus, at ut premat & Turca flagellet eum.

III. E B. ANULI GALLI EMBLEMATE DE CHALCOGRAPHIA.

Cadmus Agenorides præstans facundiâ & armis,
Cui jaculum atque omni mens jaculò melior.
Litterulas tulit Europæ, Phœnicibus ortas,
In quibus humanæ circulus est Sophiæ.
Quarum quinque; (aliis se collidentibus ultrò)
Plenâ vocales integritate manent.
Ac terrestribus has animis insequit & artes;
Civiles homines fecit & ex rudibus.

Fictus ob hoc vigilis dentes sparsisse Draconis,
Exq; satis natos dentibus esse viros.

Qui se occiderunt per mutua vulnera, tantum
(Post reliquos casos) quinque; superstitibus.

Ex quibus est hominum post multiplicata propago:

Qui primi Thebas incoluere novas.

Hujus ad Archetypum, qui *γερμαντα* sparsit in Orbe,

Jure pari potuit dicere Chalcographus:

SEMINO SERPENTIS DENTES IN PALLADIS ARVO,

Utq; homines sapiant, perficio hosce libris.

IV. DE INVENTORIBUS, AD TYPOGRAPHOS.

Monte (1) bono & (2) Regis (3) pascens (4) Faust, (5) Gallus & (6) Anser:
Hic artem reperit Senio Chalcographum:

(6.) Anseribus (5.) gallisq; (3.) ovibusq; Ars (2.) Regia (3.) pascat
Cultoresq; bono (1.) monte falerna (4.) beent.

(1.) Johannes Guttenberg. (2.) Johannes Regiomontanus juxta Purbachitab. &
P. Ramum. (3.) Petrus Schöffer. (4.) Johann Faust. (5.) Ulrichus Zahn / qui Romæ
& in Italiâ primus libros excudit. (6.) Nicolaus Genson Polyd. Virgilio, aliis Genses
fleisch / Quos citat M. Saxe in der Keyser Chron.

V. DE FAUSTO PRIMARIO ARTIS AUTHORE ET Sociis J. Guttenberg & P. Schöffer.

Quondam Orbis reperit Dominos aliquando futuros
FAUSTULUS, Heptalophi Regius Upilio:

Sed domitura Orbis Dominos cum praela reperta,

MONTE BONO FAUSTUS CUM PETRO AGEBAT OVES.

Quantò autem est major Dominis Ratio hosce gubernans;

Tantò est præ FAUSTO FAUSTULUS iste minor.

VI. IN TYPOGRAPHOS, PONTIFICUM EMULOS CHYMISTAS.

Chalcographiam odit cur invida Roma? quod aurum
E plumbo aut stanno confleret & ista suum.

Quòq; hoc candidius, fit eò felicius Album.

Inde, Rubrumve; istud lividiusq; nigrat.

Utq; auri minus Urbs faciat, facit Ars quoque; Roma.

Tot res ut faciat, rem facere & nequeat.

VII. D E

VII. DE IISDEM JUBILÆO ROMAM TRIUMPHANTIB SU

Cum JUBILÆUS ritè QVINIS VICIES
Annis celebrandus foret;

VIGINTI & annis QVINGVE eundem singulis
Indicat Urbe Pontifex:

Hunc gratulor Chalcographis recurrere
DENIS ab annis VICIES.

Longævitate VICIT horum VICIES
Romæ novæ & priscae VICES.

VIII. AD EOSDEM, OB T. AMISSUM.

Vobis Typographi malam fixit crucem,
Hanc quisquis Arti est nixus illi tollere,

Dum dempta vobis primula Artis litera,

Typographi non estis, aut *ἰσοπέδοι*,

Quæq; UTILISSIMA ars fuit, VILISSIMA est.

Juxta illud MELIORIS ADAMI in vitâ FAUSTI:

Vt in aliis etiam sit rebus, ita hodiernâ die, cum immensa sit librorum copia, atq;
hæc quoq; utilissima vilescit: & præter labores vix aliud Typothesis & Impressoribus re-
lictum est, omni q; æstu ad officinarum Dominos ac Bibliopolas redundante.

IX. IN EOSDEM NUNC NON ITA UT OLIM FAUSTOS
ET OPULENTOS.

GRYPs, DRACO, uterq; suo cultos ferus incubat auro,
Quorum hic litterulas protulit, ille tegit.

Namq; DRACONINIS è DENTIBUS, auspice Cadmo,

Illa seges nata est, GRYPHES ei ARMA data:

Sed cur Chalcographos jam nec GRYPs, nec DRACO ditat?

GRYPHE MINUS SCRIBUNT, PLUSQVE DRACONE BIBUNT.

X. IN CORNUTOS EIUS ARTIS JAM POSTULATOS
TIRONES.

Ceu Saxones vocare cornutos solent

Adulterarum conjuges EPISCOPOS:

Pueros ita CORNUTOS Typographi docent,

Sed hosce quando Heri manu-audent-mittere,

Tum POSTULATOS hos vocant Typographi,

Vt POSTULATI sunt VOCATI-EPISCOPI.

Hi nempe, { ubi esse desiêre { APOSTOLI,

Illiqvè, { ubi esse desiêre { MARTYRES.

PVtriq; POSTULATI eò jam differunt:

onant quod hi, tollant sed isti cornua.



D. O. M.

QUOD ANTE BINA RETRO QVONDAM SÆCVLA,
AB ORBE CONDITO TOT SÆCVLIS,
IMO INTEGRIS ÆVI USQ. MILLENARIIS,
IN ASIA, EUROPA, AFRICA,
ET QVA PATEBANT POSTERORUM ROMULI
SCEPTRA ET TREMENDA INSIGNIA,
NUNQVAM AURIBUS FUIT, NEC USPIAM PRIUS
OCULIS RECEPTUM AC COGNITUM,
QVINNE QVIDEM ULLIBI COGITATUM QVOD FUIT,
SCRIBATUR UT CALAMO SINE,
NOVA ARTE MIRA PLUSCVLUM CELERRIME:
EJUS REI IN GERMANIA

MOSVNTIÆ à JOANNE FAUST, SCHÛFFER-PETRO,

JANNO. GUTTENBERGIO

(REGNI POTITO, FRIDERICO III.)

DEMUM REPERTÆ ÆRA QUATER-
CENTESIMA, TOTIES-DECIMA ET MILLESIMA;
MONUMENTA QVÆDAM PUBLICA,
LUDIS VELUT VOTISQ. SÆCVLARIBUS,
QVÆ VISAT HORVM NEMO BIS,
STATVERE AMANTES ARTIS IMPRESSORIÆ,
GRATI SUIS MAJORIBUS,
PIETATIS IN DEVM, VNICVM FONTEM BONI,
EXEMPLA DANTES POSTERIS.

**QVISQVIS LEGIS, BENEDIC IIS AVTHORIBVS,
CVLTORIBVS, FAVORIBVS,
PACEM PRECATVS IN SOLO HOC PACIS TVBIS
TYPIS, DEI ET NOTARIIS
IN ALTERO REQVIEM BEATAM SÆCVLO
INTERMINANDIS SÆCVLIS.**

ANDREÆ RIVINI P. L. & P. L.
PANEGYRICA DECLAMATIO,

Quâ

ARTIS TYPOGRA-
PHICÆ INITIA, PRO-
GRESSUS, NOBILITAS ET UTI-
LITAS SUMMA CELEBRANTUR; SCO-
PULI ABUSIONUM DEVITANDI INDICANTUR, ATQ.
IPSA GERMANIS SUIS AUTHORIBUS AB EXTĒRORUM
CRIMINIBUS, ET SUORUM QUOQ. FALSARIO-
RUM INJURIIS IN INTEGRUM
VINDICATUR:

*Publicè LIPSIÆ M. Martiō Æræ Dionysianæ ∞ 10011 XL.
in solenni X. Batalariorum Philosophiæ renun-
ciatione habita:*

Nunc verò

In gratiam hujus Artis Cultorum,
una CUM NOTIS PARALLELIS edita,
& ab iisdem ibidem divulgata.

*Anno à primà ejus in Germania inventionē
iterùm-Jubileo vel bis-seculari,*

à N. C. ∞ 100 XL.

V. CL.

*Peramplo & Juris ac æqui, publici & privati,
Consultissimo,*

DN. BURCHARDO BERLICHIO,

*Serenissimo Saxonix Principi-Electori à Con-
filiorum intimiorum Secretis &c.*

*Literarum Literatorumq; præcipuo Favitori,
Summo suo*

D. D. D.

AUTHOR.

CUÏ dono egregiam novam libellos
Exscribendi adeò citâ manu Artem?

BERLICHII Tibi: namq; tu solebas

Typos hos Superùm esse munus ingens,

Actuas reputare margaritas,

Fam tum, cùm ausus es unus Alemanùm

Cuncta Jura tribus coacta chartis,

Doctis Juppiiter, ære publicare.

Quare habe tibi, quicquid ejus artis,

Quantumcunq; volat virùm per ora,

Plus uno remanere quodq; seculo

Cernis: Tecum ea post anus perennet!

* * * * *

AD EUNDEM EPIGRAMMA.

MULTI MULTA TYPIS IMPRESSA DICARE: SED IPSA
DEDICAT ARS TIBI SE TOTA TYPOGRAPHICA.



ANDRÆ RIVINI
De
TYPOGRAPHIA
DECLAMATIO.
I. N. S. T. A.



I quis unquam punctum aliquod retulisse dignus judicatus fuit, quod utilissimam potionem gratæ dulcedinis mixtione attemperans, convivarum se palatis accommodasset: ipse certè non potero nullum penitus faventiæ mihi à vobis calculum promittere, Auditores, si non minùs jucundum, quàm vitæ idoneum vobis poculum propinavero. Novi etenim sitim vestram valdè languidam, aut planè nullam, nisi vel acrimoniâ rerum inauditarum salita excitetur, aut melligine verborum Sireniorum inescata retineatur, in nauseam plerunq; degenerare. Sed neutrum fortassis illorum, tam stimulantium, quàm attrahentium, iudex quispiam vestrùm intempestivus à me expectandū censuerit: cui (quod mens vel bile, vel præconceptâ sinistrâ de me opinione suffusa sit) amara, quæ à me cunq; proficiscantur, videbuntur omnia. Faxo tamen cum Deo & die, ut isti sine suffragio Rhadamanti imaginariam hanc acerbitatem suo ipsorum corrupto gustui veriùs, quàm nostræ culpæ, aut rei ipsius saporis jure impingant. Quamvis nihil equidem habeam, quod de me, & multò minùs posterius illud, sesamo scilicet & papavere sparsam dictionem, ausim polliceri; hoc alii faciant, quos gloria vexat inanis, qui tot tantisq; negotiis ritè expediendis omnibus simul & semel sufficiant, & quorum obscurâ eloquentiâ æquis animis carere planè haut possumus. Alterum tamen illud in me præfiscinè recipiam, quod novi aliquid, aut saltem hoc loco novè, nec antea dicti in medium sim prolaturus, quodq; non minus cognitu sive, quàm

scitu & factu utile literatis quidem sit futurum; quodque nos omnes & hos quoque praesentes primæ laureæ Candidatos (quorum causâ potissimum instituta est hæc panegyris) in numerum eruditorum ut referri mereremur, unicè fecit. Expectatis, opinor, quid istud tandem sit futurum? hoc demùm est, quod volo, expectate, & vel hiante ore paulisper expectate; nec enim murem promissor hic parturiet. Occasionem modò argumenti nostri, ab ipso tempore praesente petiti, à nobis narrantibus prius cognoscite!

Cum nuper in Typographéo *Lanckisiano* exscriptioni thesium mearum de peste vacarem, advolat Mercurius rerum ille in orbe gestarum sive tabellio, seu tabellarius, velut à *viso* sibimet strategemate nobis referens, Hanoviam propè Francofurtū ad Moeni ripam è Gothorum manibus postliminiò recuperatam; nemo profectò Mercurialium utrinque fuit, qui non manibus applauderet pariter, animisque certissimè sibi persuasis, fore, ut mercatus urbis illius imperialis in posterum securiùs, majorique frequentia à variis nationibus iterum colerentur, atque adeò

*Nunc, cum verna novo mitescunt tempora Sole,
 Confluat omnigenis opibus vaga turba, suisque
 Cuncta peregrinis fora mercibus expleat illic.
 Nec minus ad certos quantum patet area fines,
 Librorum omne genus passim per compita prostent,
 Plena laboratis habeas ut scrinia chartis.
 Unde tibi dignum & mansurum condere nomen
 Et celebris possis præconia querere famæ.*

Ceu *Hugo Favolius* de hoc Emporio nobilissimo cecinit. Nam præter forum Mercurii, nundinalis quædam Musarum inibi, *describente ita Henrico Stephano*, Academia est, quæ sub hunc ipsum temporis articulum eò, in certum quendam vicum destinatum, Typographos & Bibliopolas ex omni terrarum angulo convocat; eosque secum Poëtas, Oratores, Historicos, Philosophos, Medicos, Jurisperitos & Theologos adducere jubet: Nec eos tantùm, quos olim Græcia & Italia genuerunt, sed & illos, quos gignunt quotidiè, quæcunque ab his novem Sororibus visuntur regiones, ut tot tamque doctorum scriptorum coronâ cinctus, non in ea Germaniæ civitate, cui nomen est Francofordia, sed in illâ totius Græciæ olim florentissimâ & literarum studiis atque

conci-

conciliis celeberrima urbe, Athenis puta, versari tibi videaris. Ad quam pristinam, sed jam, proh dolor! penè amissam Germaniæ nostræ felicitatem cum animus tristi recordatione suâ sponte suspiraret, propterea quòd ob temporum Marte infestorum injuriam plurimis nunc, iisque optimis auctoribus, ob comiteatū pariter, ipsorumq; exemplarium, quæ nunc inopiâ seculi recudi nequeunt, defectum. carendum esset: Imagine saltem divinisimi muneris, cujus inventione prius usq; adeò ditati gloriatiq; sumus, me & totum hoc auditorium nunc quidem oblectare statui; De CASSITEROGRAPHIA (ut uno verbo cum Scaligero appellitem) hoc est, de Arte artium conservatrice, studiorum alterâ matre & almâ nutrice, notarum celeriore æmulatrice, Librariorum correctrice, Virtutum Palladio, & Musarum præsidio, Bibliothecarum thesaurariâ liberalissimâ, Heroum & omnis seculi Scriptorum Prytanéo, & deniq; omnis disciplinæ informatrice solertissimâ; brevius & apertius: de novo illo, nec seculis prioribus viso vel audito scribendi genere, Germani ingenii plus quàm Dædaleâ aut Cadmeâ sagacitate adinvêto & excogitato, pro & ex tempore dicturus.

Quod dum fecero, Auditores omnium ordinum honoratissimi, lectissimiq; vobisq; ortum & usum tanti muneris, quem amplectamini. & decrementum atq; detrimentum vel abusum, quem refugiatis, non sine omni, ceu spero, voluptate ostendero; vestræ vicissim omniū dignitates mihi quoq; usuram benevolæ attentionis saltem semihorariam, quod opto, quodq; amicè rogo, non ibunt denegatum.

Quanta erga typorum æneorum & characterum fusilium sit, non dicam necessitas & nobilitas, sed summa saltem utilitas, (ut ab eo, quod omnium animos hominū captat, & quodam quasi hamo ductat, mea hinc profiscatur oratio) id vel ex opposito, ingentia ista & horrenda incommoda superiorum aliquot retròseculorum, ob illorū typorum absentiam & defectum subnata, evincere poterunt. Certè si ex usu quondam papyri maximè humanitatem vitæ constare & memoriam judicârunt sapientes, ut *Plin. l. 13. c. 11.* tum nil nisi merâ & feram immanitatem ex abusu, & omnium quasi rerum oblivionem ex eisdem inusu succrevisse verissimè concludemus. Unde namq; tam crassa tum barbaries & incitiæ rubigo? unde istæ plus quàm Cimmeriæ tenebræ, omnibus literis ac disciplinis incubantes? unde tot ac tanti in religione errores, superstitiones ac hæreses? nisi quod hostiles Gotho-

rum & Barbarorum irruptiones, tot loca exculta unâ cum Bibliothecis instructissimis devastantes, hanc cladem fuerint antegressæ? quæ libros situ aliâs & pulvere obductos, blattisq; ac tineis colluctantes non modò manibus hominum excusserunt, sed & magnam partem exusserunt atq; adoleverunt, imò fermè penitus aboleverunt; exindeq; deplorandam illam, & alteram quasi Babylonicam confusionem, atq; adeò necessariò subsequenter illam animarum pariter, & linguarum diversionem ac dispersionem & depravationem invexerunt. Quamvis autem *Nicolai & Sixti cognomento Quintorum*, Pontificum Maximorum auspiciis Vaticana Romæ Bibliotheca iterum erecta, & multis aureorum millibus infumtis comparata auctaq; fuerit, & *Medicæ* quoque cum primis familiæ liberalitate, aliorumq; Principum magnificis, imò regalibus sumptibus libri quidam denuò totò orbe conquirentur, ut cum *Petrarcha, Danthe & Boccaccio* literæ qualitercunq; revixerint; post illos tamen oppidò pauci reperti, qui ad eandem ingenii & industriæ gloriam eminus saltem aspirarent; propterea quod non pariter, ut illi bibliothecis regiis essent instructi. Ut auctim jurare, omnem literaturam denuò intermorituram fuisse, absq; divino tot librorum divulgatorum interventu fuisset; quò ipsò tot ingenia ab ignorantiae Lethargo, quo erant sepulta, ad studiosam animorum alacritatem & affectandam famæ perennitatem excitata, interq; astra devenerationi seculorum adinstar Deorum consecrata (*si Garcioni in Amphiteatro credimus*) fuerunt.

Certè Chalcographia inventio tam rara, stupenda, miraculosa & post Deum sola est, quæ cæcis aperuit oculos, & vel invitis ac tanti splendoris impatientibus obtrufit lumen. Est ea Lydius veluti lapis, aurum à plumbo, æra lupinis, album ab atro, verum à falso, bonum à malo discernens. Est annulus quidam Angelicæ, cuncta veterum Philosophorum, nube plerunq; nugas suas obscurantium, incantamenta revelans & confundens. Hæc ipsa vera est Fortunæ & Famæ officina, personis meritissimis nomen, dignitates, opes, immortalitatem, æternitatemq; concilians; indignis & vitiosis ignominiam, contemptum, egestatem, obscuritatem, & oblivionem, mortemq; non modò civilem, sed perpetuam objiciens, & in profundam terræ noctem eos penitus abiciens. Hospitium amplissimum est admirandorum & divinorum ingeniorum; Receptus est Spirituum acutissimorum; Diverticulum est commune & perenne Senatorum, Theologorum, Philo-

pho-

phorum, Medicorum, Historicorum, Academicorum, Scholasticorū; breviter: Omnis boni & pulchri, quod in Urbe & Orbe reperiri potest, Pandochéum est, & juxta ultimi Eliae effatum, summum & postremum Dei donum est. Cujus unius artis beneficiō innumeræ nunc artes prostant, conservantur, illustrantur, propagantur, quibus priora secula infelicia minabantur interitum. Nunc enim vel mediocris fortunæ homo, vili pretio plurimis libris instructissimam Bibliothecam habere potest, qualis olim ne Regi aut Principi concessa fuit. *Uti post alios Joannes Walchius fab. 9. differuit.* Unde & **Sebastiani Brandi** *Jcti* Epigramma in Typographiam olim emanavit:

Nuper ab ingenio Germanæ gentis & arte

Librorum emerfit copia larga nimis.

Et qui divitibus, vix Regi obvenerat olim,

Nunc liber in tenui cernitur esse casâ.

Gratia Diis primùm, mox Impresoribus æqua

Gratia, quorum operâ hæc prima reperta via est.

Quæ doctos latuit Græcos Italosq; peritos,

Ars nova Germano venit ab ingenio.

Laterem igitur penitens lavat, veritate non recte examinata, **Gvilielmus** quidam *Insulanus*, qui in *staterâ typographicâ* contra experientiam omnem & supra fidem persuadere nobis frustra conatus est, multo plures ac præstantiores extitisse Scriptores paulo supra tempus inventæ frequentatæq; Chalcographiæ, quam per initia & incrementa ejusdem. Nam quos allegat, partim adeo incelebres sunt, ut illorum nihil ad nostram memoriam manumq; devenerit, & vel ideo quoque ipsi prælum, ne interciderent, desiderasse videntur; partim vero eò ipso momento unâ cum arte typographicâ & per eam inclauerunt. Vel unicus **Joannes Antonius Campanus** testis ejus rei locupletissimus esse poterit, in cujus laudes tantoperè habenas laxavit **Menapius** ille **Gvilielmus**, ut post Ciceronem illi neminè statuerit parem: hunc vero ante inventum typorum extitisse, sui credo oblitus, somniavit; cum paucis ante pagellis ejusdem **Campani** Episcopi **Aprutini** Epigramma de Typographo, quem utiq; ille jam viderat, conscriptum hoc modo præmisisset:

Imprimit ille die, quantum non scribitur annò:

Nunc parvo doctus quilibet esse potest.

Quem

Quem versum etiam *Bojorum Annalium Scriptor* l. 7. repetit; Illaq; ipsa verba, tametsi non ligata, usurpavit quoq; *Polydorus Vergilius* l. 2. c. 7. *de rer. invent.* & *Sabellicus ennead.* 10. l. 6. distichonque illud elegantissimum alio Gallico, nec minus eleganti, *Poëta Vasco Bartasius, a cive meo Nob. Tob. Hübnero Germanicè versus*, ita expressit in *Columnis*:

*L' imprimeur en un jour fera plus de volumes,
Que le subtil travail de mille doctes plumes.*

*Der Drucker in etm Tag der Bücher mehr wird drücken/
Als 1000. Federn sonst ans Taglicht können schicken.*

Vel si quis latina malit, *D. Samuelis Benedicti* metaphrasin audiat:

*Luce libros unâ Chalcographus edet in horâ,
Quàm celer arte labor, calamis de mille petitus.*

Cui consonat & illud *Cardani*: Mira certè ars, inquit, qua M M. chartarum unâ die conficiuntur. Nec facilè est judicare, an in tantâ facilitate ac celeritate pulchritudo? an in tantâ pulchritudine celeritas & facilitas sit admirabilior? Certè *idem Polybistor egregius alibi lib. 17. de artibus, artificiosisq; rebus*, eandem admirandam typis excudendorum librorum artem, nulli alii, nec utilitate, nec dignitate, nec subtilitate secundam existimavit; *Bodinus verò in Methodo histor. c. 7.* etiam primam: utpote quæ una omnibus omnium veterum vel Musarum quoq; inventis certet, & rerum naturæ ferè munificentiam superet, nulli vitæ miraculo *juxta Forcatulum lib. 4. de Imperio & Philos. Gallorum* postponenda. *Quemadmodum & part. XI. Catalog. glor. mund. consid. 39. D. Barthol. Cassaneus* inter artifices præferri scripsit *Chalcographos*.

Gratulandum igitur potiùs, quàm ullo modo cum isto *Mida Menapio* condolendum fuerit de tanto Superiorum munere, quod viribus aliàs & alacritate defectò hóc mundi senio tot operas, sumptus, labores, & tempus describendis authoribus impendendum compendifacere docuit, & quantum ætas hæc percocta priora ingenio & industriâ luxuriantia secula prudenti & maturâ inventionem superârit, satis superq; demonstrare valuit; commodis usq; ad eò luculentis, ut renascentis in Ecclesia sincerioris doctrinæ & aliarum necessariarum artium studia, prolatis in lucem è tenebris codicibus vetustis, instruerentur copiosâ suppellectile optimorum Scriptorum, quorum fuit au-

thori-

thoritas ἀξιόπιστος, & sublevatur imbecillitas & ignavia hominum fatali langvore torpescentium. *Sicuti Philippus Melancthon l. 5. Chron. sub Friderico III. rescripsit.* Ut proinde ipsam Turcarum barbariem (qui Gogo suo, credo, metuentes nondum adduci potuerunt, ut libros typis excuderent, *ceu Busbequius Epist. 3. affirmat*) resipiat istorum idololatrarum geminum planè ingenium, qui chalcographiæ usque adeò infensi ipsam penitè extinctam cuperent, ne tam luce clarâ Veritatis noctuini eorundem oculi usque adeò perstringantur, & tantùm non excæcentur. Quod vel maximè *Typographi illius Witebergensis Johannes Gufft dicti*, qui primus Biblia Lutheri Germanica procuderat, exemplò sit manifestissimum. Is eam ob causam quotannis à Pontifice ipso die Viridium inscriptus papyro in ignem coniectus perhibetur cum imprecationibus & diris usitatis; quas meritò vir pius risit, & eo ipso die plerunqve sese hilariùs solito invitans in hoc apophthegma erupit: Hodie ego vehementer Romæ in flamma desudabo, proinde largiorem potum assumam, & illam restingvam necesse est. Et hoc est, *quod Sleidanus ille spurius L. Surius in Comm. rer. in orbe gestarum p. 119. & 663. quiritatur*, Typographos (cùm Lutherus & complices primùm incepissent nova dogmata spargere) illorum lucubrationes suis impensis politè & emendatè admodum; Catholicorum verò malignè & depravatisimè alienisque sumptibus excudisse; atqve ita brevi magnos habuisse progressus Lutheri doctrinam.

Nil igitur profectò mirum est, hominem istum *Insulanum G. M.* amarâ veritate, tot libris editis toti orbi publicatâ, tantoperè exacerbatum fuisse, ut papanis suis partibus, & Antichristo ab illarum officinarum librariarum lino, *juxta Sybillinum vaticinium*, interitum præfagiens, manibus, pedibusque usque adeò iisdem fuerit relictus. Cùm alii quoque ejusdem commatis, præsertim Itali & Hispani Germanorum gloriæ hanc artem eant creptum, & Indis potiùs, quàm nostris affectum. *Sic enim fabulosus & venalis Jovius l. 14. histor:* Quod maximè mirandum videtur, in Indiâ sunt Typographi artifices, qui libros (in quibus historiæ & sacrorum Ceremoniæ continentur) more nostro imprimant, quorum longissima folia introrsus quadratâ serie replicantur. Cui plures exteri *Johannes Consalvus Mendoza, & Garzias ab horto, nec non Johannes*

Petrus Maphæus unâ cum Hermanno Hugone, Petro Gregorio Tolofate (l. 15. de Rep. c. 13.) Et Nicolao Trigaultio, atque B. Paludano & Guidone Pancirollo succenturiati artem hanc Typographicam Sinenſibus authoribus tribuerunt. Sicut & *Busbequius Cathainis. Epist. IV.* & avorum jam tum memoriâ *Pomponius Letus* Germanos hoc inventô fraudare mala fide voluit. Tametsi *H. Hugo* ille tandem dubitârit, an à Sinenſibus ad Germanos hæc ars delata ſit; an fortè (quod fieri potuerit) apud Germanos divinâ quâdam ingeniorum ſimilitudine denuò ſit inventa?

Quantò meliùs iſtis calumniatoribus *Scaliger Pater exerc. 99. §. 1.* Indis & Orienti inventionem ſcientiarum, & dictaturam artium detrahit, Europæis vel potiùs Germanis eam aſſignans: Cujus nationis inventum eſt Bombarda, inquit, Quis horologiorum momenta docuit? quis memoriæ ſtatuit æternitatem typis æneis? Bombardâ Jovis iram imitati, horologiis temporum comites genuimus rotarum circumactiones, tempus ipſum librorum perpetuitate ſuperavimus; & audeſ pretioſiſſima quæque Indis aſcribere? Eadem *idem* quoque in *Epitaphio Germanorum, qui ad Viennam bello Turcico ceciderunt*, repetiit. Nec celavit *Cælius Calcagninus fol. 55r.* Multùm profectò Germaniæ, illi maximæ orbis Chriſtiani parti ſine ullâ ſuſpicionem injuriæ debemus, quod eminentiſſima ad nos miſit ingenia, & ſeneſcenti quodammodò Italiæ laudi ſuccreſcat ad omnem proventum optimarum artium feraciſſima. Sed & officinam impreſſoriam, typosque chalcographos tam utiles ac neceſſarios rei literariæ, quorum adjumento Reipublicæ facta ſunt ingenia, atque per omnem latè orbem propagata, prima exercuit, atque aliis accommodavit Germania. Nec ejus ſanè culpa, ſi qui in perniciem iis pariter, ut bombardis, abutantur: nec enim inventori hoc vitio verti poteſt, ſed utenti. Quando nihil eſt tam ſanctè inſtitutum, quò ad noxam uti non poſſit improbitas. Quibus & tertius Italus *Chriſtophorus Mylaus in conſilio hiftoriæ Univerſitatis ſcribendæ p. 269* ſubſcribit: Res literaria (inquit) magnum incrementum accepit, ſingulari characterum à Germanis uſu introducto, quo protinus librorum omnis generis maxima copia eſt profeminata. Ut proinde cum *Beroaldi Hendecasyllabis Patriæ noſtræ meritò (ex ejus opuſc. p. 130.)* ſic debeamus acclamare:

O Germania muneris repertrix,

Quo

*Quo nil utilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo!*

Quæ in re inferioribus quoque Germanis aliquam laureolæ hujus partem non invideremus, sed illos, per laminæ æræ incisarum imaginum vel etiam tabularum Grammaticarum typos, rudimentum quoddam & occasionem arti præstantissimæ suppeditasse, atque etiam fundamentum quasi quoddam Harlemi præjecisse, cum illis, quos in testimonium vocant, *Mariangelo Accursio Italo, & Anonymo Chronici Coloniensis vernaculi authore*, ultrò largiremur; modò nobis quoque vel hîc pariter superioribus Germanis veræ artis, uti nunc est, & inventionem & perfectionem *juxta prædictos authores* integram & inoppugnatam relinquerent, neque sibi solis omnia pro innatâ suâ dominandi libidine & ambitione vindicarent. Utenim effictas eorum fortassis historias & testimonia in propriâ causâ domestica, quæ *Hadrianus Junius in Bataviæ historia c. 17. & Henricus Schorus apud Walchium Fab. 9.* uterque Belga protulerunt, transiliam; licet & ipsa nihil aliud probent, nisi quod initia quædam levidensa Chalcographiæ inibi præsupposita fuerint, *Laurentii cujusdam Custodis Harlemensis studio*, expressâ ad imitationem iconum sculptarum (*der Kupffer Stiche*) in tabulis integris æneis scripturæ serie: Illos tantum modò duos pro nostrâ sententiâ firmiùs statuminandâ meliùs inspexisse sufficiat testes; Quos *Petrus Scriverius Harlemensis in peculiari Commentario*, civibus suis hanc artem divinam asserere cupiens, & post illum *Godofredus Hogenitius in itinere Hollandico*, pro suâ opinione firmandâ tantoperè urgent, omnium instar æstimatos, quod non Belgæ essent, & sub ipsam Typographiæ infantiam hæc memoriæ prodidissent. *Sic autem Chronicon istud, Anno M. CCCC. XCIX. scriptum editumque habere dicunt: Wie wail die Kunst is vonden zo Meng ob die Wyse als dan nu gemeynlich gebruycht wirt / so is doch die eyerste Vurbyldung vonden in Hollandt uyss den Donaten / die da selffst vur der tyt gedruckt syn.* *Mariangelus* verò sic ait: *Impressus est hic Donatus primum omnium anno 1450. &c. admonitus (eo) certè fuit Johannes Faust civis Moguntinus, qui primus excogitavit artem typis æreis, ex Donato Hollandiæ priùs impresso (NB.) in tabulâ incisâ.* Quibus verbis quid quæso clarius, quid ad scopum nostrum

paulò antè explicatum proferri potuisset accommodatiùs? Si namqve verum est, quod Plutarchus in libro *ἠὲ τύχης* docuit, casum & artem simul aliquid efficere posse; tunc illum Harlemensi, hanc Moguntino assignarem, & artem multis parasangis casui antistare dicerem, cui tamen non nihil lubens etiam permetterem; pro ut pleraque inventa emerferunt ex propositis notis, *judice Scaligero Exerc. 307. §. 5. p. 929.* ubi artem Cattiterographiæ ex gemmarum sigillis putat oriundam. *V. Huic gemina Hermannii Hugonis de primâ scribendi origine p. 210. & Walcbii fab. 9. p. 182. è Poëta Elegiaco.* Quemadmodum verò nec Cælatori hujusmodi gemmario, ita nec Sculptori ærario productum illud tertium jure tribuas, aut Chinensi, vel Cataino, quia fortassè simile quid conati fuerint, quorum labores rudissimos à Germanorum illis exquisitissimis non terrâ saltem divisâ & maximo fallo, sed toto cœlo distare in propatulo est. Quam ipsam manifestissimam veritatem *Δαδῆχ* quondam noster *Cl. D. Bertius in Comment. rer. Germ. lib. 3. p. 613.* tametsi & ipse Batavus, diffiteri amplius non potuit, sed multis sententiam nostram confirmavit.

Risum igitur, imò pœnam meritò nobis debebunt Belgæ cæterum cum suis non tam liberè, quàm malè dictis, nec sine injuriâ nostrâ prolatis, uti sunt *Cassaris Barlei*, sub personâ Urbis Harlemensis, versus:

*Invidet excusas populosa Moguntia Musas,
Quodque meum est laudis jactitat esse sua.*

Quorsum etiam tendit ista aureis literis ad exterius domûs Costerianæ in foro Harlemensi extantis fastigium non ita pridem appicta inscriptio:

MEMORIÆ SACRUM.

TYPOGRAPHIA ARS ARTIUM CONSERVATRIX
HIC PRIMUM INVENTA CIRCA AN. c^o CCCC XL.

Cui statim subjectum simile superiori *Epigramma Scriverianum*:

Vana quid Archetypos, & praela Moguntia jactas?

Harlemi Archetypos, praelaque nata scias.

Extulit hîc monstrante DEO LAURENTIUS Artem,

Dissimulare virum hunc, dissimulare DEUM est.

Mirum verò *Scriveri* fuerit, quod non Deum feceris aut Apollinem lauro delectatum, istum tuum Laurentium? Sed profecto

et

Etò falleris cum Patriotæ tui ἀποθεώσῃ; non enim DEUS ille salutari meret, qui, ut alibi dicis, tantum ædituus fuerit.

*Jam (pergis) veri Custodis erat servare penates,
Adfuit Atyolysi sed scelerata manus.*

Nequaquam verò *Custos* ille major erat, aut plus juris habebat, quàm *Mysta*; neque hunc ille à sacris rejicere poterat, nisi fortassis ut canis in præsepi pabulum, quo ipse saturari nescivisset, aliis invidere, aut *Gryphis Indici* instar (*quem chalcographi pro insigni habent*) homines auro ufuros studiosè arcere debuisset. Sicuti nec furis aut plagiarii stigmatè dignus, qui publicæ utilitatis causam injustè detentam aliunde ceperit, eamque meliorem redditam libertate donaverit. Neque fortassis Alemannici Typographi usquequaque dissimulârunt, quid illi Custodi deberent, quibus etiamnum syllabæ in infimâ paginæ parte ad dextram sitæ, & principium sequentis paginæ suggerentes, CUSTOS dicuntur; ut innuant, illum *Laurentium* quoque *Custodem* aliquid syllabicum saltem & dimidiatum reperisse, sed quod completioris artis postea & integrarum dictionum atque periodorum, adeoque librorum fuerit elementum. Potuisset igitur Harlemensi illi satis fuisse, quod nomen & memoria ejus quotidiè toties recurreret, & in cujuslibet *columna*, ceu vocant, librariæ sine, tamdiu quidem, quoad prælum fuerit, perpetuandum superaret; nisi ille nusquam inferior, sed omnibus etiam veris inventoribus & Germanis quoque superioribus superior esse maluisset.

Sed hæc barbaries Belgis valdè solennis & hoc vitium infestandi alios iis veluti peculiare est, quibus præter gentiles suos, aut cives & municipes, cæteræ omnes sordent nationes. uti *Cæs. Scaliger* de moribus ipsorum à se exploratis testatus, vel potius eos detestatus est, *Declam. contra Erasmum*. Quid? quod ea quæ *Junius & Scriverius* in gratiam suorum Harlemensium, quorū hic civis, ille Medicus fuit, sine fundamento sufficiente protulerunt, (vulgarem enim eorundem Harlemensium famam *etiam Gvicciardinus in descriptione infer. Germ. dixit*) universa ea ac singula *D. Dan. Cramerus in concione funebri Davidis Rheti Typographi Stetinensis* irrefutabiliter refutârît. Quorum summam in ὀρθογραφία *Hornschuchiana* versione Ger-

manicâ-Heydenreichianâ, hic excusâ, per aliquot pagellas reperire est. Ab eodẽ *Cramero* & pluribus etiam *Chinensium* vel *Sinensium* illi Patroni debellati sunt, non simplici saltem negatione *J. Rosini*, uti quidam *Garzionis Commentator scripsit*, (Quamvis & ejus ut hominis ingenui, & Germani inficiationi nudæ plus fidei orbis tribuat, quàm æmuloꝝ exterorum infirmis assertionibus) Sed & multiplici ratione *Th. Lansii in orat. pro Germ.* qui ingens discrimen inter Germanoꝝ & *Chinensium* typographias ipse quoq; demõstravit.

Quicquid autem sit, hoc saltem inde evinci statuit *Mel. Adam*: verum esse illud *Aristotelis* pronunciatum: *Nihil prohibet easdem artes à diversis, vel eodem, vel etiam diverso tempore, citra ullam communicationem, inveniri.* Deinde quoque hoc certum est, artem hanc tenuibus & exiguis, ut omnia, initiis affectam aliquandiu mansisse imperfectam, & (ut est in *Purbachii tabulis, & apud Sabellicum*) saltem tentatam; ejusq; specimen quale quale literis in asseres tabulasve tantum insculptis, & integris paginis ligno incisus chartæque commisisis initio fuisse exhibitum: donec *Officia Ciceronis* in membranâ omnium primò, ut putatur, excuderentur, sicuti exemplar in *Bibliothecâ Augustanâ* asservatum, & quale *Petrus Ramus* quoque se habuisse gloriatur, hanc in fine continet inscriptionem: *Præfens M. Tulli clarissimum opus Johannes Fust, Moguntinus civis, non atramento, plumali cannâ, neque areâ, sed arte quadam perpulchrâ, manu Petri de Gernsheim pueri mei feliciter effeci. Finitum Anno 1466. die 4. mensis Februarii.* A quo primò caractere, veterem scribendi modum *Italicum* imitante, etiamnum literarum apud *Chalcographos* nomen *antiquo-Ciceronianum* remansit; eaq; scriptura (quæ primo illo & rudi adhuc seculo inter literas fuit minima, antequàm *Virginea*, & quæ non parilem habet *Gallicana*, elaboratæ essent) *antiqua prima*, addito nomine *Ciceronis*, fuit appellata. Eâ paulò major *media antiqua*, & quæ hanc quoque superaret, *tertia antiqua* fuit nuncupata. Cui altera totidem gradibus opposita fuit, quæ à celeriore scribendi modò *cursiva & fracta* in officinis, *Garzoni Cancelaresca* audit.

Quod obiter occasione ab opere *Ciceroniano* primitus impressò captatâ commemorare placuit. Quamvis suprâ citatus *Schorus, Prepositus Surburgensis*, Faustum illum *S. Biblia* primùm im-

impresisse, & Parisios cum suis exemplaribus quæstus causâ contendisse affirmaverit; ibique cum prius unicum manu exaratum Bibliorum exemplar quadringentis aut quingentis coronatis venisset, Faustum sexaginta saltem, magis tolerabili pretio, sua singula coronatis vendidisse, pauloque post multò etiam minoris, ut vendibilia faceret, permisisse, donec priores emptores repetundarum ipsum postulassent, & vel Moguntiam usque Lutetiâ reversum illic quoque urissent, ut Argentinam transire necesse haberit. Et certè laude & gratiis dignissimum est, quòd sacræ imprimis literæ literis hisce metallicis fuerint Orbi publicatæ. Nam & Augustæ Joan. Bemler Biblia Latina Anno 1466. *juxta Mel. Adamum* excudit.

Cæterùm tanta est inter Scriptores in primo illo artis hujus Cadmeæ authore Germanico denominando varietas & discordia, ut hucusque de eo *Historici certent & adhuc sub judice lis sit.* Jacobus *Wimphelingius in rerum Germanicarum Epitome c. 65.* Et *Polydorus Vergilius Urbinas de rerum Inventoribus lib. 2. c. 7* item *Sabellicus l. 6. Enneade 10.* quorum ætas paulò post tempus inventionis illius incidit, & ex his *Gilb. Genebrardus Parisiensis l. 2. Chronographie p. 233.* ut & *Alexander Sardus de rerum inventoribus l. 1. p. 5.* *Melchior Guilandinus de papyro membr. 26.* & *Chassaneus in Catal. glorie mundi parte 11. considerat. 39.* *Thomas Garzonius in amphitheatro universali artium discurs. 129.* *Serarius Mogunt. rer. lib. 1. c. 38.* *Thomas Lansius Consuli. Orat. primâ & ult. & c.* JOHANNEM GUTTENBERGIUM Argentinensem, equestri virum dignitate excogitasse hanc imprimendarum literarum artem Anno 1440. & Moguntia complevisse volunt. Aliis ferè omnibus JOANNES Faust inventor hic nuncupatur, ut *Mariangelo Accursio loco cit. atq; Aventino l. 7. annal.* item *Platina & Fulgoso lib. 8. cap. 11.* atq; *Meliori Adamo in vita ejusd.* & ex parte *Hadriano Junio*, nec non *Petro Ramo l. 2. Proæmio Scholarum mathem. fol. 64.* Quò ipsò usq; adeò incertus redditus fuit *Henricus Salmuthus*, ut dubitârit, utrum idem cum Fustio Guttenbergius, an diversus ab eo fuerit? Sicut & *Polydorus* eundem vocavit Petrum Faustum, generi nomen cum foceri cognomine, hoc est Janum Faust cum Petro Schöffern confundens, quem PETRUM à Gernsheim alii de patria nuncupârunt, & eidem quoque tantæ rei inventionem asseruerunt. In quâ opi-
nione:

nione Joannes Walchius Schorndorffensis, ut & Guil. Insulanus in *Dissertat. de Chalcogr.* p. 281. nec non Joannes Rosinus in *antiquit. Roman.* l. 10. vel *Orat.* 4. p. 599. aliquando fuerunt. A quo Petro deinde ultra integrum seculum tam familia, quam typographia in urbe Moguntinâ fuit propagata. Nam, ut ex *Aventino* colligere licet, Petrus inde Secundus, item Joannes & Yvo Schöffer deducti fuerunt: quod vel insignia eorundem gentilitia communia luculenter possunt demonstrare. Ita namq; in calce Juris Canonici primùm impressi legitur: *Anno M CCCC LXXIX. Sedem Apostolicam Sixto Quarto, Orbis monarchiam australium Ducum ex antiquâ familiâ Friderico III. Urbis quoq; Moguntinæ Diethero de Ysenberg cum Principatu curâ archiepiscopularem obtinentibus, apud prædictam urbem Decretales Gregorianæ feliciter finiuntur à Petro Schoiffer de Gernsheim, cujus armis signantur & c. tribus scil. stellulis, quæ binis trabibus, ferè in formâ primæ literæ conjunctis, compinguntur.* * Δ *

tépore pòst anno MD XVIII. publicato inibi Livio, Joannes Schöffer, & ærà MD LV. in eadem Archiepisc. Sede Moguntinâ, excusis Imperii S. Decretis & Criminalium processu, Yvo quoq; Schöffer usus fuit, nisi quod Opilionem utricularium cum ovibus suis hic adjici curaverit. Qvò minùs rectè huic *Yvoni*, qui integro seculo pòst vixit, affingi à nonnemine poterit hujus artis excogitatio.

Verùm enimverò hæ omnes *évavlioφaveĩς* sententiæ nomini Germanico nihil derogant, & quàm optimè ex *Aventini locò etiam à Zvingero fol. 3629. citato* conciliari & ad concordiam deduci poterunt. Qvem quod multa notabilia contineat, non pigebit integrum attexere. Anno, qui est Christi M CCCC L. (Pontifice Nicolao Quinto, & Friderico Cæsare) magnum ac verè divinum beneficium Joannes Faustus Germanus, civis Moguntinus, generi humano contulit: novum scribendi genus haud dubiè cœlitùs revelatum (quod *Chalcographiam excussoriam impressoriamque* vocare solent) invenit & biennio complevit. Consuluit Pater indulgentissimus honestis literis, authoribusq; præclaris, de quibus actum fuisset, ita torpore langvescimus, adeò delicatulus sumus, fugitantesque laborum: tantum literarum uno mense ab uno homine imprimitur, quantum uno anno à pluribus non scriberetur. Hinc indies magis ingenia vigent, studia literarum florescunt, copia librorum parvo

ere

ere egenis suppetit, omnes ad capeffendas praclaras artes tanta librorum commoditate alliciuntur. Hoc caelestissimū munus à Fausto, & Petro Schäffer de Gärensheim, genero suo, cui unicam filiam Christinam desponderat, inter secreta, adactis omnibus sociis ad silentii fidem jurisjurandi religione, habitum, decimo post anno Fausti minister Joannes Guetenberger Argentoratensis in Germaniâ vulgavit. Municipes hujus Ulricus Han, hoc est Gallus & Xystus Reifius Romæ, Italiæq; intulere. Ubi hoc artificio, meâ memoriâ, Aldus ille Manutius, vir ad instaurandas literas natus, claruit. Nunc verò in Germaniâ Basileæ Johannes Frobenius, Hagenoie Thomas Anselmus, Argentorati Matthias Schürerius, Mogontiaci Petrus Schöfferius, nepos ex filiâ authoris hujus inventi, alii item aliis Germanie civitatibus, quotquot ubicunq; antè fuerunt, & adhuc sunt, superant, longosq; intervallo post se relinquunt. Græca, Hebraica, Latina diligentissimè & quàm emendatissimè excudunt. Optimos quosq; Authores sacros, prophanos in triplici lingvâ, Poëtas, Oratores, Historicos, Philosophos, maximè religionis nostræ priscos Heroas certatim passimq; restituunt, & periclitanti Reipublicæ pro virili suppetias ferunt. Perditissimos tamē mortales invenias, qui tanto Dei Opt. Max. dono ingrattissimi ac planè impietissimi existant. Auguror equidem propediem scelestissimum hoc genus hominum pœnas, auspice Christo, impietatis daturum. Sed dimissis malè ominatis, potiùs bonis benè precemur, & reliqua historie exequamur. Hæc AVENTINUS.

Quod si verum est, uti de fide Germanici Historici, & qui de re Germanicâ, in sibi finitimâ civitate paulò ante tēpora sua peractâ quàm optimè testimonium perhibere potest, nullus ambigo; præsertim cum & reliqui scriptores huic vel in eo subscribant, quod Guthenbergius Argentinas, aurifex nobilis, Moguntia demum, artem hanc perfectè (à Fausto scilicet apprehensam) compleverit, & magnis suis sumptibus Anno MCCCCXL. primùm publicè carit. Sicuti post alios Sethus Calvifius Chronolog. f. 789. attestatur. Nihil igitur mirum fuit, cur præ Fausto illo Guthenbergius magis celebratus, illiq; inventio, quasi soli & primo, in solidum fuerit vendicata. Utpote quòd hic cum proditoribus complicibus, sociis ambobus illis & civibus suis, Ulrico Hahn/sive Gallo, & Xysto Reifio, seu, ut Wimpbelingius vocat, Sixto Rifinger (qui omnes erant Argentinenses) Romam & Neapolin, velut ad præcipuas Famæ & Fortunæ officinas, opera operasque suas & formas librarias tan-

D

quam

quam rem inauditam, nec unquam Italis prius visam primi transculissent & ibidem strenuè exercuissent, ingens decus & emolumentum illic consecuti. *ut prolixè narrat Wimpbelingius loco citato.*

E quò error non modò *Campani*, sed & *Polydori*, primū impressorem apud Romanos *Gallicum* fuisse contendendum diluitur, refelliturque; cum id nominis nō à Patriâ, sed à familiâ, nec à *Gallis*, sed à Gallis gallinaceis in latinam linguam fuisset transumptum. Unde Epigrammati *Campani, Aprutini Præfulis* (qui ad alterum à *Vergilio* solo allatum cognomen *Genison*, quasi *Genes, John/i. e. anserum, dedecus & opprobrium*, respexit) suum adhuc acumē, & quidem meliùs per æquivocationem ambiguam asseritur.

*Anser Tarpeij custos Jovis; unde quod alis
Constreperes, Gallus decidit. Ulter adest
Ulricus Gallus, ne quem pascantur in usum,
Edocuit pennis nil opus esse tuis.*

Sic namque penè sum persuasus, hunc *Ulricum Hahn/* seu *Galum Argentinensem*, eundem fuisse cum illo, quem *Polydorus* errato mnemonicò appellârit *Nicolaum Genison Gallicum*, qui à nemine propterea allegatur, sicuti alter ille *Ulricus Gallus* ab *Alexandro* quoque *Sardo, Aventino, Wimpbelingio, & aliis*: nisi quod *Thomas Garcio in Amphitheatro Catholico Dissert. 129.* velit istum *Nicolaum Genisonem Gallicum* tempore *Augustini Barbarici, Venetiarum Ducis*, hanc artem in eâ famigeratissimâ & inclytâ urbe mirum in modum illustrâsse; sed & hîc è *Polydoro* transcripsit. *Melior* verò *Adamus* eundem *Jansonem* librariam artem in *Galliâ* excoluisse tradit.

Sic ergò postideâ factum ut Germani hanc artem toto quasi orbe Europæo, ductis typorum Typographorumq; *Coloniis*, propagârint. *Lugduni* enim (quod vetustissimum Gallorum contubernium tantoperè extollit *Erasmus colloq.*) *M. Joan. Trechsel Alemannus*, artis impressoriæ, teste *Jodoco Badio Ascensio*, studiosissimus, in omnes fere terrarū angulos, pro adipiscendis operib9, transmissit, & inter alia anno Salutis nostræ 1496. *M. Gvilielmi de Occâ* decisiones super potestate summi Pontificis ibidem divulgavit. Quæ *Venetis & Vincentiâ* (ubi anno 1487. *Boccatii* genealogias Deorū impresserat,) cōsecutus fuit *Simon de Gabis, dictus Bevilacqua & alii.*

Per

Per Germaniã cum primis passim exercuerunt eam artẽ: Augustæ
Joan. Demler / anno 1466. Eslingæ *Conradus Siner* / anno 1475. Ar-
 gentinæ 1472. *Joannes Mentellin* / operibus suis brevi factus opu-
 lentissimus; Ulmæ circa eadem tempora *Joan. Zolner* / & *Conradus*
Denschmuth / Coloniae anno 1490. *Henricus Quentel*; Basileæ eodẽ an-
 no *Nic. Kessler* / Noribergæ *Antonius Koburger*. teste *Mel. Adamo Vit.*

Cum ergo longè latèqve hæc ars utilissima dissemina-
 retur, lucrumqve & præmium insigne inibi laborantibus mani-
 festè allucesceret, & verò omnes ac singuli benè emenda-
 tos libros & cum primis quoque eos, unde Latinè multi, sed semi-
 barbarè traducti essent, Græcos Authores typosqve desiderarent,
 ipsi Græci quoque hanc artem à Germanis didicerunt, & Venetiis
 primùm ut & Romæ & Florentinæ exercuerunt. Inter quos *Zacha-*
rias Calliergus Cretensis, alius *Cretensis*, *Nicolai sc. Blasti*, *Etymologicum*
magnum Venetiis anno 1499. publicavit. Sicut & *M. Musurus* atq;
Janus Lascaris, in quibus Græcia reviviscere cœpit, operam sedu-
 lam correctioni librorum imprimendorum *juxta Henr. Stephanum*
in Quærim. Typogr. olim navârunt. Neque proinde facilè quisquam
 ad has officinas admissus, qui non gradu aliquò eruditus se appro-
 basset, atq; adeo quoque illi ab initio plerumque in Academiis pro
 membris earundem habiti, & adhuc nonnulli habentur, quam-
 vis nullis titulis ornati. Quò magis ii veniunt laudandi, qui te-
 stimoniis publicis, examine prævio acquisitis, privilegiorum Aca-
 demicorum se capaces reddiderunt. Quemadmodum Sanctorum
 Patrum Collationes XXIV. conscriptæ ab *Johanne Eremita*, qui &
Cassianus dicitur, impressæ Basileæ *per Magistrum Johannem Am-*
merbach, anno Domini M. CCCC. LXXXVII. ut & prædictus
M. Trechsel / & alii attestantur. Ita Basiliæ quædam & Athanasii
Matthias Schürerius Schletstadinus Artium Doctor, (unde in hæc & vi-
 cinâ Aeademiâ Bibliopolarum famigeratissimorum *Prosapia Schü-*
veriana, ut opinor, descendit) veluti primitias ex officina suâ im-
 pressoriâ Argentorati feliciter emisit die 8. Junii Anno 1508. Et
 ibidem *Doctor Georgius Maxillus alias Nibeln* / anno M D X. dor-
 mientem *Homerum* æregraphiâ (ut in præfat. loquitur) suâ exci-
 tavit, ceu ante hunc *M. Joannes Gruntinger* *Virgilium Brandi* anno
 M D I, pariter Argentinæ divulgavit.

In hâc cum primis Urbe Lipsiensi Typographi vel Magistri, aut saltem Baccalaurei bonarum artium, eotempore, quò primùm typis libri hîc impressi, fuerunt. Ut enim *M. Ernesti Vögelini* characteres elegantissimos, ceu posteriores, silentio involvam; Anno jam tum *M. CCCC. XCVI. Wolfgangus Steckel / Baccalaureus Erffurtensis & civis Lipzensis*, Priscianum in duobus libris minoris voluminis feliciter hîc edidit. Deinde *Baccalaureus Martinus Zansberg Herbipolensis, & Baccal. Wolfgangus Monacensis*, anno Domini *MD III.* unâ hîc vixerunt, & varia excuderunt.

Nemo tamê universo orbe characteres inventos ita excoluit, ut *Aldus*, è cujus officinâ Græci ac Latini Scriptores totâ Europâ diffusi sunt. *Uti post Aventinum aliosq; Myraus in historiâ universitatis p. 270. s. ultimâ affirmat.* Et *Thuanus hist. l. 59.* eam ob rem de Manutianâ familiâ honorificentissimè sensit, libro verò 25. ei plus debere Christianum Orbem censuit, quam cuiquam fortissimorum belli Ducum ob propagatos fineis patria unquam debere possit. Sicuti & *Beza in Juvenilibus: Aldum Manutium Deum vocavit,*

Ipsis qui potuit suo labore

Vitam reddere mortuis Poëtis,

Qui vitam dare mortuis solebant.

Ibi enim in Aldi Academiâ (*uti Jul. Scaliger orat. contra Erasmus, vocat, & hæc addit*) bona pars doctorum virorum imprimis versabatur; qui nobiles & eloquentissimi emendandis typis librariis in eâdem cum Erasmo operâ pernoctabant, cum hujus interdium saltem locata videretur.

Ex quo satis liqvere puto, licet librorum Scriptores & Descriptores eorundem Venditoribus fuerint semper priores & omninò distincti, Typographos tamen in principio simul Bibliopolas existisse, neutrosque illiteratos, uti nec Correctores quoque librorum imprimendorum ignobiles, aut operam eorum planè servilem fuisse. Quò minus quenquam Studiosorum etiamnum pigere poterit, si & ipse aliquandiu vitâ suam hoc toti mundo utilissimo labore tolerare debeat: quamvis & nunc & antea Bibliopolis juxta & Calcographis tenacitas erga literatos & SORDIDA OPULENTIA jure merito semper fuerit exprobatâ. Quemadmodum hoc egregiè præstitit *Roterodamus in hujus nominis Dialogo festivi-*

vissimo. Quem qui pellegerit & rectè (quod hæcenus vix ulli, aut paucissimis contigisse crediderim) intellexerit, atque deinde cum eodem *Julii Cas. Scaligeri orationem illam contra Erasmus* contulerit, is sentiet profectò causam huic defuisse, cur in illum caninâ eloquentiâ usque adeò debaccharetur. Quasi Erasmus semihominis saltem operam in Aldi officinâ legendo præstitisset, potando autem tergemini Geryonis, quemque Itali in mensâ socium, in acie verò desertorem fuissent detestati. Ipsamet *Suada Belgica in Colloquio citato* illud quoque de se non dissimulat, quod illic gluto quispiam & helluo visus sit; causam autem annectit, apparatus scilicet tam tenuem & tractationem tam frigidam, tamque sordidam, ut bulimiâ ipsi periclitandum, & fame ferè pereundum fuerit, quàm utique non tam ciborum exiguitate, quàm corruptione offenderetur, datis pro vino fece vapidâ, pro pane argillâ, pro obsonio cochis è latrinâ haustis, pro jusculo *minestra* Italicâ è caseo bubalino coctâ. Et sanè describuntur ibidem Italorum, pecuniam magis, quàm voluptatem expetentium, mores tam graphicè, tamque venustè, ut ipsa Venus non possit dici venustior: præcipuè verò Venetorû, quos *Synodos*, quasi convenas, & ipsarum Urbem, in quàm ex omnibus viis Mercatores undique convenirent, *Synodium* obscure quidè vocitavit, sed tot circumstantiis eam depinxit, ut naso caruerint, qui quid vellet, non persenserint. Culpam autem, quodammodò ab *Ortbrogono* (ita *Manutium*, quasi *manè natum* indigitat) in socerum ejus è summa inopia evectum *Anthronium* velut *Antro-Trophoniû* transfert, id est, in ANDREA Millum, qui vel ita simpliciter sub finem Aldinorû librorum plerumque nuncupatur, vel addito cognomine ASULANI SOCERI. Quem Euclionem in tantis opibus usque adeò triparcum fuisse *Erasmus in illâ sordidâ opulentia* stomachatur, ut in gratiam honestissimorum convivarum teruncium impendere gravaretur, cum juvenes filii interdum unâ nocte sexaginta Ducatos aleâ perderent, prout perire solerēt, quæ sordibus corradantur; quibus ille censum suum ultra octoginta ducatorû millia è Chalcographico Bibliopolio provexisset, quod nullus esset annus, quo non accederet lucrum mille Ducatorum. Id quod si illo proventuum feracissimo ævo & in principio rei Typographicæ jam tum contigit, quid hoc nostro

difficillimo tempore usuvenire censeatis? cùm tam divinum be-
 neficium, qui rectè agnoscant, paucos hodie invenias, præsertim,
 quos in eo tractandò quotidiè occupari contingat. Ipsos dico Ty-
 pographos, quorum nonnullos in sutrinis aut cerdonum tonstri-
 nis ætatem degere omninò satius foret, quàm tam liberali præfe-
 ctos esse artificio; ut qui lucri solummodò causa faciant omnia, &
 quæcunqve ipsis imprimenda tradantur, ea deteriora & multipli-
 cibus, pudendisqve mendis contaminata emittant, typis sæpenu-
 merò adeò detritis, obtusisqve, ut eorum exigua rudimenta in
 chartâ semiputri, terræqve ἰσορροῶ vel oculatissimo vix depre-
 hendere liceat. Verùm quî aliter evenire possit, cùm eò avaritiæ
 venerint, ut sumtuum in Correctores erogandorum ipsos pœni-
 teat, cum ipsimet illorum vice fungantur, rudes, insulsi, ingeniò
 vacui, qui exceptâ illâ, quam per nutrices olim suas edocti fuere,
 nullius lingvæ cognitione sunt instructi, ut ne voculæ quidem ET
 significationem eos nôsse jurare possis. Atqve hinc adeò, nisi
 Corrector quispiam Φιλόκαλος suâ sponte & studiò benè meren-
 di de re librariâ, debitam adhibeat diligentiam, per Jovem! isto-
 rum Corydonum causâ, gallinaceum illum (*quem ab Ulrico Hahn/
 primo Romanorum Typographo ad illos devenisse argutari quis possit*)
 in libellis Alphabeticis aliàs postremum, in fronte primorum
 Elementorum loco collocatum dicerem te offensurum. *Sicuti*
prolixè post D. Lutherum in præmonitione Bibliis Germanicis præmissa,
conquestus fuit D. Hieronymus Hornschuchius in Ορθοτυπογραφία suâ:
Et adhuc prolixius antè ipsum Typographus doctissimus STEPHANUS,
cujus extat Artis Typographica QVERIMONIA de illiteratis qui-
busdam Typographis, propter quos illa in contemptû venit, prout
eam ipsam Episcopus Vultuariensis Simon Majolus in variis vitæ generi-
bus tom. 2. colloq. 6. dier. Canic. maxima ex parte suis additamentis de-
nuò incrustavit. Quæ quidem Qverimonia (ut addit Jacobus Verhey-
denius in elogiis Antichristi oppugnatorum) si unquam, hodiè maximè
 locum habet. Tàm indoctè & illiberaliter hæc Ars liberalis à plu-
 rimis tractatur, ut spiritu Prophetico Polydorus Virgilius loco toties
 laudato auguratus videatur, quòd hæc ars, ut ab initio non mino-
 re quæstu, quàm hominum admiratione, vulgari cœperit, sic ob
 eam ipsam causam (nimiam scil. lucri quæstuosi sitim) paulatim
 sit.

fit futura vilior. Jam enim ipsorum Typographorum culpâ facta est vilissima. Ut quos non dormire saltem in correctionibus aliquando pervideamus & querulemur *cum Garcione in Amphitheatro*; sed planè veterno, ad mortem usque civilem, correptos pro depositis deplorare habeamus. Nam & ægrotantium desperatorum more in vetitum semper nituntur, in vitis multa authoribus cudunt & recudunt, in rebus nauci ferè studiosissimi, in utilissimis verò superficiales plerumque & negligentes; in lucro captando Lynces, in operis ferè Talpæ. Quantò rectius illi ipsi STEPHANI, & inter eos ROBERTUS, & CAROLUS frater, tum HENRICUS filius fecisse existimabuntur, quorum ille regius & Francisco Rege dignus Typographus Parisiis elegantissimos illos literarum præcipuè Hebraicarum & Græcarum characteres, ab initio sibi comparavit, quos nitoris elegantiaque studiosi ut hodiè mirantur, sic posteritas ipsa olim admirabitur & obstupescet. Sed præcipuè docti summam illam curam & diligentiam in libris optimis & emendatè admodum excusis adhibitam prædicant, atque commendant. Unde ille *TYPOGRAPHORUM GLORIA* dictus fuit, quod Typographos omnes, qui sunt, qui fuerunt, quiq; futuri sunt, superâsse videatur: ita ut de palmâ contendentibus inter se Typographis, hic eandem ut Victor nactus, non nomine solum, Stephani suo, verùm etiam reipsâ $\sigma\epsilon\phi\alpha\nu\Theta$, corona suâ, ut victores & reges solent, clarus magnusque evaserit. *Quod Encomium prædictus Verheydenius imagini Roberti Stephani & plura alia subjecit, hoc disticho laudes ejus concludens:*

Οὐτὸς Θειογράφοι καὶ ὁμῶς τε τυπόγραφοι αὐτὸς,
 Τὰς Βιβλίων βίβλας, θεῖα τὰ δῶκε τύποις.

Hujusmodi verò palmarè adorem nulli amplius, nec Bibliopola, neque Typographi, sed lacus tantummodò *Lucrinos* ubique persequuntur, parum solliciti, quàm benè quid impressum, sed quàm multum inde sit expressum. Quod virus operæ ipsæ quoque, & pueri vel tyrones hujus artis imbiberunt, ut ad Substantiam corradendam propiùs putent accedere & prædicari τὸ πῶσον, quàm τὸ πῶϊον. Inde solummodò sollicitis articulis computant, quantum hebdomatim confecerint & lucrati sint, non quale isti opus, plerumque semiputatum, reliquerint. Cum perfunctoriâ manu,
 & ut

& ut cum iisdem loquar, *cursum* non modò literâ, sed & operâ quodlibet perficiant, posteriorem semper rationem artis suæ & laudis, quàm pecuniæ habentes: usq; adeò vel hîc quoq; istud dominatur: **VIRTUS POST NUMOS**. Ut proinde jure quis illud *Jani Maumontii*, ex ejus ad *J. C. Scaligerum*, *Epist. 76*. huc applicare possit: *Si quid errorum in libris tuis, cum erunt editi, reperies, crede, quod scio, credes, è typis, ubi operarii mercede dant operam, nihil unquam prodiisse emendatum absolutè.* Quò accedit quod illi laborum librariorum focii, à primo hujus artis maximè tum præmiosa momento corrupti, omnes postea in eodem ludò edoctos continuâ serie pariter corruperint. Ut quemadmodum *Janus ille Faustus* excuso primo Ciceroniano opusculo, *pueri* quoque sui mentionem facere coactus fuit: Ita adhuc illi ipsi heris suis æquare, tenerrimeq; & lautissimè tractari volunt; ut sæpè Maronis illud venerit in mentem: *Quid Domini faciant? audent cum talia fures?* Qualibus servis *Erasmi* jam tum ævo ap. Germanos vix suffecit hora in jentaculum, tantundem in merendam, sesquihora in prandium, ac duæ horæ in cœnam; ubi Itali cibo capiendò vix semihoram impendissent totò die, sordidissimam quoq; tractationem ferentes, contra ac Germani isti, quos, nisi affatim fuissent expleti eleganti vino, bonis carnibus & piscibus, deseruisse Patronum & fugisse in bellum *idem confirmavit Roterodamus in sordidâ opulentiâ, pag. 645.* Quod primæ concoctionis vitium in reliquis penitus incorrigibile fecit, ut priùs illi omnem rem, quàm tam pravam consuetudinem decoxerint. Hinc tot poscinumia & Harpyias in hisce officinis reperias, ut nisi laris hiantibus escam ponas, frustra ad caveam tuam sis pertracturus: ut qui illubentissimo animo quodlibet imprimant, humectandos esse typos toties clamitantes. Ita semper è prælo suo torcular efficere satagunt, prout ex hoc illud primùm effectum fuisse credibile est. Tam perversum autem ipsorum typothetarum morem, morosis suis querelis aures Authorum impudentissimè obtudentium, ipse ego frequentissimè inter ipsos versatus, immane quantum sum semper averfatus, sæpissimè illis regerens, ut si modestè hoc exigerent, præsertim ubi Authoris culpâ labor ipsis intenderetur, neminem tam iniquum fore, qui non eorum diligentiam

mu-

munusculo quodam recompensaret; quam gratiam nimia suâ
procacitate plerumque ipsimet detererent atq; deperderent.

Quo nomine ipsorum albis epigramma quoddam rogatus in-
scripsi, quod Germanicè, ut isti intelligerent, sic sonat:

Die Drucker gelten mehr gewiß / denn tausend Schreiber /
Doch muß nicht truckē seyn die Schrift / noch ihre Leiber ;

Sonst vor die Bücher sie den Author drucken wol /

Solang bis Geld vñ Bier macht Maul vñ Beutel voll.

Quò ipso fit, ut Scriptores & Commentatores πολυργῶς arte
hac divinâ aliàs vel maximè delectatos, & quos omnibus modis
allicere potius debebant, inertia suâ ferinâ, & immani avaritiâ
usque ad eò à se avertant, ut literatus quispiam pistrinum satius,
quam ipsorum officinas intrare desideret. Id verò an non perdi-
tio huic arti & ipsis chalcographis tandem sit futurum, vestris,
auditores, judiciis considerandum relinquo. At illi vicissim ha-
bent, quod nobis objiciant, cujusmodi querela eorum ap. *Famia-
num Stradam Romanum* in Comitibus Patrum rei literariæ conscri-
ptorum his verbis fuit recitata. SOCIETAS TYPOGRAPHORUM

SENATUI POPULOQ. POETARUM S. D.

CRescit indies magis magisq; numerus eorum, qui nostrâ operâ in volu-
minibus edendis abutuntur. Id vitio potissimum fit vestri generis homi-
num, qui quæ noctu somniant, hæc manè lucem videre illicò gestiunt, occasio-
nemq; Iliadum & Æneidum undiq; venantur. Nullus hodie mortalium aut
nascitur, aut moritur, aut præliatur, aut rusticatur, aut abit peregrè, aut re-
dit, aut nubit, aut est, aut non est, (nam etiam mortuo isti canunt) cui non
illi extemplo cudant Epicedia, Genethliaca, Protreptica, Panegyrica, Epitha-
lamia, Vaticinia, Propemptica, Soteria, Parænetica, Nænia, nugæ. Nulla est
intemperantior hominum natio, nulla adversum nos contumacior: si quid in-
versu, quod non rarenter accidit, illis excidit, continuo in nos, pro eâ, quam sibi
sumunt, mentiendi licentiâ, confertur abundè culpa. Malum serpit quotidie
latius: nos onere opprimimur, nullo (quod caput est) opera pretio. Edita
enim horum pleraq; vix in manus hominum veniunt, cum aut explosi jam an-
tea nomen Scriptoris, aut prodigiosi vestibulum operis statim lectores abster-
ret, nosq; raro deinceps emptore, ad apinas & nugas, ne triobulo quidem ve-
nales, quoquo possumus modo distrahendas, cogimur malè properata volumi-
na aliò transferre, ac scombris involucra & tunicas dare, aut in vicum de-
ferre ----- vendentem thus & odores

E

Et pi-

Et piper, & quicquid chartæ amicitur ineptis.
 Hæc pauca de multis vobis indicare visum est. Vos ordinis vestri bono ac fama consulite, nobis tantum onerum detrahite, ac Valete.

Verum enim verò ipsemet *Typographorum Princeps Stephanus*, in *Querimonia artis suæ*, istud *Horatii* (unde argumentum *Dissertationi suæ* petierat) *Scribimus indocti doctiq; poemata passim*: non de iis saltem, qui *ῥαψῶσι*, sed multò justius de his, qui *τυποῦ ῥαψῶσι* carmina & alia aliorum quorumlibet scripta, usurpari posse autumavit. ut tolerabiliora ista *Versificatorum* jure censeas omnia, quod hæc ipsa nauci scripta etiam publicata pro non publicatis habeantur, & æternâ cloacarum plerumque nocte condemnentur, nec cuiquam bilem faciliè in naribus concieant, aut innocentes magnoperè offendant, prout libri quidam nemini præterquam Librariis utiles, famosi aut lascivi, & multa cristica. Nam si (*Possevino de cultura ingeniorum l. 1. c. 51. Judice*) cavendum, ne ornamentum loco exsculptæ literæ majusculæ, vel alia cum imaginibus nudarum mulierum, aut etiam turpiorum rerum, capitibus præfigantur, quod avertant legentem ad ea, quæ Christiana pectora dedecent: Quanto majori Scandalo textus ipsi & Scripta integra erunt, quæ nihil aliud, quam animarum piarum scopulos contineant.

Hæc ipsa tamen quod plerumque sint lucrosa, typographi quidam contra conscientiam datamque fidem, sine omni CENSURA sed non sine perjurii notâ numero imprimunt. Quæ sola medela morborum illorum indicationi aliàs à rerum publicarum Archiatris ritè præscripta est. Ideoque jam à principio in Academiis, quibus *juxta Majolum dier. Canic. tom. 2. Colloq. 6.* nihil affinius quam Typographus, jurejurando devinctæ fuerunt hujusmodi operæ, ne quid sine convenienti inspectione & approbatione in publicum emitterent: veluti *Johannes Parvus* Anno MD XVII. jam tum *Almæ Universitatis Parisiensis* juratus Librarius S. Bernhardi opera & alia cum hoc suo ellogio publicavit. Nonnulli Typographi quoque *Cæsareæ* majestati obstricti Notarii fuere; quidam etiam personæ Ecclesiasticæ, sicuti *Bonetus Locatellus Presbyter* Venetiis Anno MD II. libros impressit: pariter ut primus apud Belgas Typographus *Laurentius Johannes* Aedituus professione fuisse quibusdam perhibetur. Optandumque foret, ut hæc tam

uni-

universo orbi necessaria cura ab omnibus Magistratibus pari alacritate & acritate susciperetur, designarenturq; ubiqve certi viri recognitioni edendorum librorum praefecti. Utqve melius observari delinquentes, & in eos animadverti posset gravius, non opus foret tanta turba Typographorum, sed minor eorum, doctrinâ moribusq; probatorum, & sic, uti sunt fabri monetarum, privilegiô imperiali in autoratorum numerus certus Germaniæ sufficeret. Cùm pauci Chalcographi universæ serviant Galliæ, pauciores Italiæ, paucissimi Hispaniæ, & quibusdam nationibus etiam nulli, quæ saltem libris utuntur aliundè importatis. Quod *Scriptoris statera Typographica* consilium, quamvis cætera nõ usq; quaq; respondeant, eò tamen minus puto aspernandum, quò magis *communem Germaniæ Præceptorem* idem in optatis habuisse, compertum est. *Utinam verò, inquit, tanto Dei munere grati uteremur, non ad obscurandam, sed illustrandam Dei gloriam, non ad disjungendas, sed copulandas Ecclesias.*

Quò colophone sanctissimo ipse quoque *cum Salmuthio* hic finio, annexo simili voto & monito, totius hujus Declamationis velut *ἀνακς Φαλαῶσς*, ut quandoquidem ex peroratis illis omnibus satis superq; cognoveritis, Auditores honoratissimi & dilectissimi, tot tamqve diversos populos ut Auctores subtilissimi hujus inventi laude ornari voluisse, exinde *cum Hermanno Hugone* in primâ scribendi origine hoc rectè addiscamus, oportere, ut omnes admirentur & exosculentur hanc Artem, quam singuli velint suam fuisse filiam: Eamqve si nostratibus præcipuè vindicare cupiamus, necesse esse, ut eandem ceu gnatam liberaliter & reverenter habeamus, nec impuris eam carminibus, aut famosis libellis vel inanibus nugis incestemus; sed eâ ritè & *faustè* utentes, excusis dignis libris nos legitimos & dignos ejusdem filiæ parentes omnibus approbemus. Minimè verò prædictorum pravorum Typographorum more, libidini saltem nostræ & avaritiæ velificati, in id quoque incubuisse, & hoc modò respexisse videri velimus, quàm multos libros, non quàm bonos emiserimus, nostram famam, vel veriùs infamiam, juxta *Barclaj* in *icone animorum* scomma, ex voluminum à nobis editorum numero aut magnitudine unicè æstimantes, docendi semper, quàm discendi, & scribendi, quàm legendi avidiores. DIXI.

NOTÆ QUÆDAM PARALLELÆ
IN DECLAMATIONEM DE TYPO-
GRAPHIA.

Pag. 6. lineâ 23. Certè Chalcographiæ inventio tam rara, &c.]

Ea, quæ per 16. abhinc lineolas sequuntur, ferè omnia ex eodem ejusdem GARZONIS capite seu ducursu 129. Amphitheatri universalis Italici latine huc translata sunt. Quæ ipsa, atq; hujus Panegyris alia, mirè hæc illustrant:

Typographia tempori cuncta abligurienti & sub mortalitatis jugum trahenti frenum injecit: illaq; verè est ars memoriæ, & mors oblivionis, & ingeniorum asylum, nec minus, quàm Philonis alexipharmaca, Deorum manus & munus, imò ipsa, cum mortuos in vitam revocet, omninò Diva est. Germania miraculum optimum maximum, quod toti orbi commune, viam ad virtutum & doctrinarum mysteria, ad Religionem, ad cælum, ad Christum ipsum Salvatorem nostrum communiat. CL. TH. LANSIVS in Consultatione.

Pag. 8. l. 2. Illaq; ipsa verba tametsi non ligata usurpavit Non modò unus & alter citatorum, verum etiam nemo ferè non, quicumq; de typographiæ inventionem modò verba fecit. Sicuti & paulò post pag. 16. in hæc ipsa Oratione, lineâ ante- & penultimâ, AVENTINUS annal. Boi. l. 7. verbis solutis præstitit, ut & J. BOTERUS lib. 8. de politiâ illustr. pag. 521. Qui & CARDANI sententiam eadem 8. pagellâ à nobis allegatam de bis mille chartis uno die confici solitis non tam improbat, quàm comprobavit: licet idem Boterus ter mille & sexcentas chartas, nonnunquam etiam quater mille in Germanorum typographiis sub quolibet prælo singulis diebus imprimi (ab unâ scilicet saltè facie) commemorasset; nam Cardanus integre & ab omni parte absolutas & confectas MM. chartas intellexit.

Ibid. Gratulandum E. potius de tanto superior. munere] BOTERI eadem mens fuit loco jam laudato, ubi præter illa allata hoc modo dissertavit: Impressoria ars Scripturæ successit, ejusq; vicem obtinet, & orbi toti commodior, quando facile omnia scripta brevi intervallo temporis in universum Orbem disseminantur: magno studiosorum commodo, si tamen res bonæ sunt, quæ evulgantur, sicut magna quoq; perniciæ acceleratâq; mortiferâ peste, cum aut falsa, aut turpia pronâ celeritate in omnes partes percurrunt. De autore artis impressoriæ hic non digladiabor. Summum id DEI beneficium grato animo nos sedulo decet agnoscere, quo factum est, ut omnes disciplina brevi emicuerint, linguæ ipsæ omnes brevi innotescant, ac omnium scientiarum volumina etiam egenis studiosis percommode suppetere possint: atq; ita etiam sit, ut plurimorum auctorum Scripta ab interitu vindicata sint.

Ad

Ad pag. 9. & 10. Loca illa P. JOVIL, item JOHAN. PETRI MALFABII, ut & BOTERI in Chinae descriptione, exscripsit quoque DAN. LANSIUS orat. contra Germaniam, & in alterâ postremâ pro eâdem Germaniâ etiam JO. CONSALVI MENDOZÆ geminum; ubi pariter eos omnes suis ipsorum gladiis jugulavit Idem Consultator Tubingensis, manifestissimis eos implicans contradictionibus: dum & ipsi Germanis hoc attribuere, vel absurde saltem aliud statuere. Quamobrem pag. 14, quoque eundem obiter & extremi digitis indicavimus.

Ad pag. 10.] ubi è variis & peregrinis in primis Scriptoribus inventio Typographiæ Alemanis asseritur, verba quoque NICOL. VERNULÆ I. è dissert. 4. de peregrinatione notabilia ibi visa: Omnium hæc est confessio, nusquam gentium ingeniosiores machinas, nusquam gentium excellentiora artificia, quam in Germaniâ, reperiri. Non ignoratis Typographiam inventum esse Germanorum. Quale verò ac quantum? Profectò non tam mortalibus hominibus, quam immortalis DEO adscribendum. Artificiorum omnium ut utilissimum, ita ingeniosissimum sanè est inventum.

Pag. 12. P. BERTIUS IN COMMENT. RER. GERM.] verba sic habent:

Inter prima Urbis (Moguntinæ) decora refertur à multis inventio artis typographiæ: quam tamen nos aliqvò nostris Harlemensibus asseruimus. Et ostendit nobis nuper humanissimus & antiquitatum Hollandicarum peritissimus P. SCRIVERIUS SPECVLVM SALVTIS (Quod sc. H. Junius Harlemi primum ante omnes alios libros excusum credidit) non Belgicè, sed Latine editum, primum magnæ artis rudimentum, cujus pagine glutine commissa fuerant, ut videri possent opistographæ. Sed attentius consideranti facile apparuit non collectas fuisse literas singulas digestasque in vocem, voces in versum, versus plures in paginam, sed singulas paginas singulis tabellis ligneis expressas fuisse, imaginibus literisque exstantibus atque prominentibus, sicut sigillis & ectypis solent imprimi notæ rerum materie molliori, & ut ex libris è Sina ad nos advectis apparet Sinenses libros suos adornare, quæ res ut affinitatem aliquam cum arte typographiâ hodiernâ habet, ita multum adhuc à perfectione artis remota est. &c. Cum Epiphonemate:

VERE GERMANORUM HÆC LAUS EST, SIVE HARLEMENSIBUS EA TRIBUATUR, SIVE MOGUNTINIS.

Haud absimiliter differuit L. GVICCIARDINUS in Descriptione Harlemensi: In hac urbe, non publicâ tantum incolarum aliorumque Hollandorum voce, sed & Scriptorum quorundam suffragio, aliisque aliquot

monumentis inventa primum traditur Typographia, id est, ea librorum formulis excudendorum ratio, quæ hucusque passim in usu est: sed auctore, ante perfectam & evulgatam artem, extincto, famulus, uti narrant, Moguntiacum abiit, ubi edito levi aliquo artis specimine perbenigne fuit acceptus. Moguntini verò cum summo studio in hoc tantum negotium incubuissent, consecuti sunt tandem integram ejus notitiam. Unde increbuit postea, & cum tempore magis magisque invaluit fama, produsse ex ea urbe hanc tam insignem scientiam. Sed frustra addidit inibi REGNERUS VITELLIUS Zirizæus, interpretes Gvicciardini, Ioannem Faustum, infaustum istum Domino extitisse famulum, à quo Moguntinenses falso ex hoc mustaceo sibi laureolam petant: cum Insulares isti magis hancce gloriolam affectent.

Pag. 14. l. 12. Artem hanc tenuibus & exiguis, ut omnia initiis as-] Scitum est illud magni Philosophi: τὰ ἐξ ἀρχῆς εὐρισκόμυνα, μικρὰν τὸ πρῶτον ἐπίδοσιν λαμβάνειν εἶωθε. Χρησιμώτερον μὲν τοι πολλῶ τῆς ὕστερον ἐκ τῶτων ἀυξήσεως. Τῆς δὲ ἀρχῆς εὐρημένως, ῥᾶρον τὰ προδύνααι καὶ συνάξει τὸ λοιπὸν ἐστίν, ὅπερ σχεδὸν καὶ περὶ τὰς ἄλλας τέχνας συμβέβηκε. Unde P. BERTIUS l. c. intulit: facilius fuisse ingeniosis hominibus, & ad res præclaras inveniendas natis (Germanos Superiores intelligit) ex tali (Harlemensium) rudimento progredi ulterius, & ad conceptam animo perfectionem superatis impedimentis eniti, quam protinus consummata omnia reddere, & primo actu absoluta. Nihil n. simul & ceptum esse & perfectum; sed per intervalla crevisse artes.

Pag 20 l. 9. Nemo tamen universo orbe characteres inventos ita excoluit, ut ALDUS] cognomento MANUTIUS videlicet. Quem civem Romanum & utraq; linguâ doctissimum virum summa cum diligentia & laboribus indefessis, nullâ omnino sumtuum & privati sui incommodi, sed honoris tantum & publicæ utilitatis habitâ ratione, Typographiam omnibus numeris suis absolvisse voluit L. GUICCIARDINUS, ut eum primis ejus artis authoribus a POLYDORO adjungendam censuerit. propterea quod nihil usquam præter typos Aldinos expeteretur: quia scilicet adeo nitidi, adeo elegantes, ut existimarent plerique eum uti argenteis characteribus, atque etiamnum hodie, licet expolitâ jam arte, vix invenias tamen, qui hominem superet. Ante quem, si quis verè examinet, re videlicet recens inventâ, editiones omnes ineptæ, incultæ, mendosæ, ac sine Venere ulla & gratiâ. Ipse verò, nihil inausum relinquens, ingenio simul & judicio artem polivit, ex difficili facilem

cilem expeditamq; reddidit, & ad summum, ut dixi, perduxit fastigium. Neq; tantum ipsammet artem, sed quæ erat insigni doctrina, etiam plerorumq; auctorum scripta, ingenti sua cum laude castigavit. Et quid amplius? ipse, ni fallor, omnium ferè primus libros Græcos excudit. Quæ in rem eò quidem incumbebat studio, ea perpetuo utebatur vigilatia, ut, ne qua posset interpellari, adeuntibus sese statim aures velleret hoc pulcherrimo monito, beffalibus literis scripto & ad Musæi fores appenso:

QVISQVIS ES, ROGAT TE ALDUS ETIAM ATQVE ETIAM, UT, SI QUID EST, QVOD SE VELIS, PER PAUCIS AGAS, DEINDE ACTUTUM ABEAS, NISI TANQVAM HERCULES, DEFESSO ATLANTE, VENERIS SUPPOSITURUS HUMEROS: SEMPER ENIM ERIT, QVOD ET TU AGAS, ET QVOT QVOT HUC ATTULERINT PEDES. Hæc Nob. ille Florentinus in Belg. descr. 275.

Pag. 22. Typographus doctissimus STEPHANUS. Et pag. 23. TYPOGRAPHORUM GLORIA.] Quo in pretio apud Italos Aldina, eò apud Gallos Stephanica fuit Typographia, cujus deprædicationem IOANNES AVRATUS, Poëta & Professor Regius Parisiensis Epist. quadam ad ROBERTUM STEPHANUM TYPOGR. NOBILISSIMUM (ceui idem inscripsit) olim instituerat. Quæ inter varias philolog. Epist. MEL. GOLDASTI p. 235. extat, e qua ipsa Centuria nos sequentes versiculos excerpimus.

Inter tot, hac ætate bellè qui typis *Quas hinc & inde, susque deq; conti-*
Cudunt minutulis libros, Cohibentque certi margines. (nent,
Primas Roberte Stephane tu partei seu quis (quod ad rem pertinet vel ma-
Reclamitante nemine. (tenes, Quam quærimus) solertiam, (xime,
Seu quis requirat literæ elegantiam, Ac diligentiam sagacem postulet
Cæsis in æs è formulis In eluendis omnium
In plumbeas abire jussam tesseræ, Nevis librorum. ne qua labes sordium
Vulcania juvante vi. Doctorum operibus insidens
Seu linearum nobilem symmetriam, Obstaculo sit imperitioribus,
Oculos quod acreis plurimum Doctisqve bilem conciat.
Iuuet legentum, haud indecenter omni- Inusitatam ô hominis erga litteras
Suum tenentibus locum. (bus (Humaniores quas vocant)
Versus spaciolis rite distingventibus, Propensionem mentis. ô animum viri
Parvis perinde ut areis, Nullo silendum tempore!

Seu

Cui tanta se monumenta debent, atq; Libros, heri qui diligentiam sui
 Quæ publica gens mortalium (tot, in corrigendis lapsibus
 Licet edidisset, nunc forent ut medita, Vel ore ab ipso, ceu parentes liberi,
 Ni per laborem plurimum Testentur ac subindicent.
 Redintegrasses tu resuscitans ea, Quod dum assequaris, interim non
 Propè dixerim, intermorta, Partis profusioribus, (sumtibus
 ROBERTE, literaria rei salus; Plus publica rei, quàm domestica gerens
 Tuâ tabernâ prodigens Cura atq; sollicitudinis. &c.

Pag. 26. Sine omni censurâ, sed non sine perjurii notâ imprimi.
 Cum ns Gry quidem sine competente tam recensione, quàm correctione impri-
 mere ipsis liceat, vi Decreti Visitationis Electoralis Sax. 29. Maji anno 1598.
 & una magistratibus insinuati JURAMENTI hujus TYPOGR.

Nachdem Chur-Fürst Christianus hochloblichster/Geo-
 liger vnd Christmilder Gedächtniß im vorschienen 88. Jahr/
 in die Universitet vnd einem Erbarn Rath allergnädigst
 Befehl ergehen lassen/ daß Inhabts der Universitet Statuten hinfuro
 ohne Vorwissen vnd Bewilligung des Rectoris, vnd der vier Facul-
 teten Decanen/ auch der gangen Facultet, darein die geschriebene
 Materia gehörig / durch aus nichts gedruckt werden / vnd derowegen
 die Buchdrucker allhier des Druckens halber nicht allein dem Rath /
 sondern auch der Universitet mit Pflichten zugethan vnd verwandt
 seyn sollen: Als schwere ich N.N. daß ich künfftiger Zeit ohne Vor-
 wissen des Herrn Rectorn dieser Universitet, vnd ausdrücklicher
 Nachlassung vnd Subscription des Decani der Facultet, darein die
 Materia, so mir zu drucken übergeben werden möchte/ gehörig / nichts
 drucken / noch meinem Gesinde/ oder andern solches von meinerwegen
 in keinerley weise oder Wege / wie das durch Menschen-List erdacht
 werden könnte oder möchte / zu thun / wissentlich oder heimlich / noch öf-
 fentlich gestatten/ auch tüchtige Correctoren/ so der Sprachen/ in wel-
 cher die Materia geschrieben/ vnd zu drucken gesucht / kündig vnd er-
 fahren / verordnen wolle: Vnd solches alles weder vmb Giff / Gabe/
 Meid/ Freundschaft oder Feindschaft/ noch einigerley Ursachen willen
 anders halten / vnd mich sonsten in meinem Drucken des Heil. Römi-
 schen Reichs vnd ChurF. Sächf. Verordnung vnd Befehl gemäß er-
 zeigen wil/ Erewlich vnd sonder Gefehrde / Als war mir GOTT helffe
 vnd sein heiliges Wort durch Jesum Christum vnsern HERRN/ Amen.

F I N I S.

QX 4/c 79.24

VD 77

215



L. ANDREÆ RIV
 SAXONIS, PRO
 LIPSIE
 HECATOMBA LAUDU
 IN LUDIS ITERUM
 OB INVENTAM I
 ABHIN
 ANNI
 CHALCOG
 AD ARAM SUPP
 ARTIS OMNI
 INQ: HONOREM
 AVTHO
 NEC NON PER
 MEMO
 PUBLICE PIE
 AD PLISN-ELIST
 CUM IN CARMINIBUS
 GRAMMATIS, TUM VERO
 TIUNCULA
 ARTIS TYPO
 COMMENDATIONEM & I
 LIS IN DECLIVEM P
 HISTORICE MAGIS
 & VARIIS SCRIB
 LEBI
 LIP
 ÆRA ∞ ID CXL. AP

